

1570 tisque hostibus, triremi potitur. Interim a latere Prae-
cojus, Neopatrae custodiae praefectus, supervenit; praelium red-
integratur, Priolus constanter atque intrepide hostium impe-
tum sustinet, suos prece praemio hortatur, incitat, impellit:
acriter pugnanti Matamoras, Turcicae rostratae praefectus, ma-
gno impetu in ejus triremem inVectus, victoriam e manibus
eripuit. Nam undique in lacerum, ac diffractum navigium
irrupentes Turcae, ad unum nostros, qui certamini supere-
rant, contrucidavere. Priolus ad extremum usque spiritum
decertans, in postremo conatu glande ictus animam effudit.
Cadaver a Matamora Chium delatum, ab insulae sacerdotibus
una cum triginta ex suis, qui in praelio occubuerant, humili
tumulo, at gloriae titulis excelso conditum est. Surianus cum
celerrime pulsu remorum ex hostium se conspectu eripuisset,
incolumis ad classis imperatorem infelici cum nuntio perve-
nit.

Vincentius
Maria
Priolus,
Turcica
triemi ca-
pra, strenue
dimicando
interficitur.

Isdem ferme diebus Melitensium quinque triremes, quae
Petri Justiniani, e patricia Venetorum familia, Messanae, uti
vocant, *Prioris*, ac Hierosolymitanae classis praefecti, qui bel-
lo Melitensi ob egregie, fortiterque gesta inclaruerat, imperio
parebant, cum in hostes incidissent, eundem fere casum sub-
iere. Cum enim Proregis rogatu Hispana quaedam navigia
maritimam usque ad Senarum oram, ubi novis operibus arx
muniebatur, profectae fuissent, in reditu ad Gaulum (quod
Junonis Sacrum olim dictum volunt) Uluzzalius Calaber in-
secutus, vigintiquinque triremium agmine circumsepsit. Meli-
tenses, ingenti licet animi corporisque robore praediti, pauci
a pluribus circumventi, diu resistere nequeunt, complures
fortissime dimicantes cecidere; binae in hostium potestatem
triemes relictae; reliquae, fuga arrepta, vix incolumes in
Amphimaleum portum sese recepere.

Melitenses
triemes ab
Uluzzali
captae.

Dum haec fiunt, non una in parte, vario eventu, ad
summam tamen totius belli impari pugnabatur. Zannius cum
e Corcyra in orientem vela daret, sex rostratas, incolis ar-
matas triemes reliquerat, quae haud exigua Turcis damna
inferentes, ad Pargam, Epiri Republicae oppidum, e Corcyrae
regione situm, tutos receptus habebant. Qua re Graeciae Be-
glerbegus permotus, peditum atque equitum ad quindecim
millia.